

Agnatis suis Volckardo & Engelhardo omnia illorum bona cum literariis instrumentis Anno 1441. restituit. (d) Fridericus Romanorum Rex Volckardo & Fratri ejus Auerpergiis medieta- tem Castri Katzenstein ejusque pertinentias ab Elisabetha Her- bersteinia ad Auerpergios devolutas An: 1447. in feudum con- tulit. (e) Ab eodem Imperatore Friderico Dynastia Auerperg & plurima alia bona imprimis autem officium hæreditarii Ca- merarii Carniolæ & Vinidorum Marchiæ in Pancratium Auer- pergium & Fratres ejus duos feudali titulo translata sunt Anno 1469. (f) Pancratius ille curiam suam in Schneeberg pro alia in Thauftendorff sita cum Hermanno Rauber commutavit An- no 1487. (g) Volckardus ab Auerperg inter Arbitros compro- missarios fuit, qui litem Wolffgangi Kienberger cum Floriano Auër habitanti deciderunt Anno 1504. (h) Volckardus præte- rea Anno 1509. fato functus est, filique ejus cum matre sua Margaretha Auerpergia natu Wolfsteinia gravem dissensionem habuerunt, quæ interpositione Procerum quorundam An: 1509. sopita est. (i) Sequenti Anno 1510. Margaretha Auerpergia testamentum suum condidit. (k) Kunigundis ab Auerperg Perckheimio Superioris Austriæ Equiti An: 1512. nupsit, & in favorem agnatorum Johannis, Trojani, Sigismundique Auerper- giorum Paternæ hæreditati renuntiavit. (l) Trojanus ab Auer- perg a Consiliis Ferdinando I. Imperatori Anno 1534. fuit. (m) Sigismundo ab Auerperg Kunigundis à Puchheim de bonis qui- busdam litem movit Anno 1535. (n)

(a) Archiv. Stat. num. 1205. (b) Ibi num. 2117. (c) Ibi num. 2372. (d) Ibi num. 2504. (e) Ibi num. 2647. (f) Ibi num. 3064. (g) Ibi num. 3266. (h) Ibi num. 3523. (i) Ibi num. 3537. 3538. & 3546. (k) Ibi num. 3545. (l) Ibi num. 3557. (m) Ibi num. 3696. (n) Ibi num. 3701.

CAPUT XXVI.

COMITES DE STERNBERG.

Illustrissima Sternbergiorum Comitum Prosapia, nulli in Bo- hemia Moraviæque secunda seculo decimo quinto Idencko- nem produxit, qui in Austria Dynastiam Weitra nactus, titulo supremi Burggravii Pragensis & Baronis de Weitra in illo Archi- vi Statuum Austriæ documento usus est, in quo Anno 1464. no- mine Divi Imperatoris Friderici IV. decimas in Aichberg Viro cuidam Nobili in Feudum dedit. (a) Jaroslaus Dominus de Stern- berg, Johannes Dominus de Schvamberg, Wilhelmus Domi-
V
nus